7

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

POTU AQUARUM ARDENTIUM,

Quam,

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Authoritate & Juſſu

Gratioſi Collegii Medici.

PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,
Philoſ. & Medicinæ Doctore ac Profeſſore Publ.
Ordinario, Academico Naturæ Curioſo
d. Hectore II.

Pro

Conſequendis ſummis in Arte Medicâ
Honoribus & Privilegiis
DOCTORALIBUS

Solenni Eruditorum Examini ſubjicit

In Aulâ Novâ
Ad diem Auguſti,

LUDOVICUS FRIDERICUS Breyer/
Oberbronna-Alſatus.

TUBINGÆ,
Typis JOHANN-CONRADI REISI.
Anno M DC IIC.

DEO,

PARENTIBUS

ET

PATRONIS.

Σ. Θ.

§. I.

REcens eſt natura mundi *T. Lucretio Caro*, neque pridem exordia cepit: Argumentum novitatis philoſopho-poëtæ præbuerunt artes quædam, quas ſuo tempore expoliri obſervabat, nova hinc nautica, muſica, phyſica & poetica inventa carmine ſuo concelebrans. Artibus poſt ipſius ætatem ſ. inventis ſ. expolitis accenſeremus artem Deſtillatoriam, ſi bonâ cum pace *Borrichii* fieri id poſſet, qui Chymiam, cujus ea pars eſt non minima, ex ultimâ antiquitate Hermeti & Ægyptiis contra *Conringium* vendicare acriter ſuſtinuit. Tranſeant modò iſtæ lites, id nobis ſufficit, tanquam certius, ut vel maximè in Scientiâ arcani veterum Chymia quoque fuerit comprehenſa, in monumentis tamen noſtris hippocraticis & galenicis vel de ſimplici vini ſpiritu ſatis altum eſſe ſilentium. Ubi vinum vinique fæces cum viribus & uſibus deſcribit *Dioſcorides*, nihil de tam nobili producto legitur: Silet etiam multæ eruditionis promus condus *Plinius*, ſedulus aliàs in colligendis variis circa vinum artibus & fraudibus, imò qui nec illud de Fauſtiani agri vino prætermiſit, quòd ſolum hoc vinorum flammâ accendatur. Unde etiam *Janſ. ab Almeloveen* in ſuis inventis nov-antiquis ultra ætatem Arabum aſcendere nequit, ſed primam apud eos unius & alterius aquæ deſtillatæ mentionem fieri fatetur; Nihil ſpecialius ſuppeditat tum *Polyd. Vergilius* de rerum inventoribus, tum *Pancirollus* in novis inventis, nec *Salmuthus* in notis. Evolvi merentur, quæ de Aquâ vitæ ex *Al. Toſſano* adducit *Morhoſius* in ep. ad *Langel.* ſcil. uſum ipſius primum fuiſſe medicum, & innotuiſſe è libris quorundam medicorum arabum, qui illam primùm in medicinæ gratiam confecerint; Germaniæ autem hunc potum illatum fuiſſe à Venetis, qui ex corrupti vini mutinenſis quantitate deſtillatum ſpiritum metal-

lorum foſſoribus venalem miſerint. Italis igitur hoc, quidquid eſt ſive boni ſive mali, primùm debemus, uti plura alia, quæ à longo tempore nobis jam appropriavimus, tanquam domeſtica & familiaria, nec nova amplius nec peregrina. Sc. longè alia modò vivimus tempora, utpote quæ non amplius in arcanis ſcientiæ reſervant encheireſes chymicas, ſed nec fæcem plebis amplius latere ſinunt, quid è fæce vini ſperandum ſit. Quanquam in laboratoriis chymicorum ad ſummum perfectionis gradum ut loquuntur dephlegmatus & rectificatiſſimus præparetur, audent tamen certare cum chymicis vetulæ, dubiamque ipſis palmam reddere. Quemadmodum ſal urinoſum volatile jam à cultrifabris tanquam parergon è raſurâ cornu cervi, aqua fortis à tinctoribus, ita ſpiritus vinoſi inflammabiles omnis generis parantur à ruſticis. Non amplius vinum ſolum, nec ſolum frumentum, ſed omnes ferè arborum & fruticum fructus materiam præbent, ne bacca quidem in vepribus tuta eſt, quam pro ſpiritu non torqueant; Didicerunt enim & in praxin deduxerunt axioma chymicum: Omne quod in fermentationem agi poteſt, deſtillari etiam poſſe in ſpiritum, non tamen niſi illâ præparatione præviâ, atque adeò non è muſto prius quàm fervere (ſic enim, ait *Plinius*, appellant muſti in vina tranſitum) cœperit. Mirum verò quod non captent ſuperimpoſito alembico effluvia, cùm ita fervent muſta, ne quid pereat; tum ſpirituoſi exhalat multum. Etenim non modò apud vietores vini, apud Zythopœos frumenti ſpiritum, ſed & ultimis hiſce annis paſſim in urbe & pagis apud cives & ruſticos ſpiritum ceraſorum, prunorum, cynosbati, oxyacanthæ, ſambuci, & quos non, vidimus, non in parcâ ſolùm quantitate pro ægrotis ad uſum medicum, ſed ſæpius in magnâ ſatis ad potum quotidianum pro ſanis, gratum, utpote inebriantem; Quale quid ex mineralibus & animalibus chymia non obtinet, ſibique proin proprium ſervat regnum vegetabile, pleriſque tamen ſui ſpeciebus commune, & eò referendis, ſaccharo, melli, &c. Hanc vulgi in chymicorum laboribus imitandis dexteritatem dum agnoſcere tenemur, eam tamen non nimis extenſam volumus, quaſi ad arcana etiam adeptorum

pene-

penetrârint; Quod enim ſub ſpiritu vini Lulliano prætendit occultari *Joh. Seg. Weidenfeld* magnum Philoſophorum menſtruum. quo ſolo cognito proceſſus ipſorum ad verbum intelligi poſſent, de illo adhuc paſſim altum eſt ſilentium, & nefas adeptis ſuam Dianam nudam omnium oculis exponere. Non de tantis myſteriis, ſed de vulgari aquarum ardentium potu agere animus eſt, qui quidem non novus nuperis tamen annis renovatus, univerſalis ferè inter nos & multis nimis quàm familiaris factus fuit, catervatim tabernas ſpiritibus probè inſtructas obſidentibus bibulis. Occaſionem quippe frequentiori uſui ſpirituum vinoſorum dedit vini per aliquot retrò annos nimium pretium, præ quo multis ad inſolitum aquæ potum tranſeundum fuit. Hæſit interim memori menti idea priſtinarum deliciarum, movitque toties appetitum, ut cùm generoſius nimis carè venderetur, villum autem ſive vile vinum, quale ex immaturis uvis aliquandiu expreſſum, (quid hoc anno ſit futurum, Deus novit) & quo verificatum fuit illud Poetæ, quòd nativum montes lachrymentur acetum, non ſolùm in ore non ſapiat, ſed &, quod præcipuum, ventrem repleat, non caput, ſub miſerabili adeò ſtatu, circumſpiciendum utique fuerit bacchi amaſiis de aliis mediis ſive de ſuccedaneis; Nec defuerunt iſta, & ante omnia frumentum cùm in pretio decreſceret, deſtillari cœpit in ſpiritum, hinc porrò, uti ingenioſa eſt paupertas, ſollicitatum regnum illud vegetabile multos dedit ſpiritus evporiſtos, i. e. facile parabiles, qui ſtrenuè ſuum officium faciunt, & languentem ab aquâ tenuique cereviſiâ ſtomachum calefaciunt, amaraque curarum, ut vini laudes à Lyrico mutuemur, eluunt efficaciter. Nullâque in parte mundi ceſſat ebrietas, repeteret, ſi redivivus ſiſteretur *Plinius*, quam apud Occidentis populos etiam fruge madidam agnovit, ac ſi quis diligentius reputet in nullâ parte operoſiorem vitam deprehendi exprobravit. Habet utique hoc patria commune cum magnâ Europæ parte, per quam longè latèque ſe extendit uſus horum inebriaminum, non ad frigida modò Septentrionalium climata, ubi à Germanis noſtris aquas vitæ, à Polonis vinum crematum, &c. laudari minus mirum foret,

ſed & calidiores Itali talibus delectantur; quorum dum roſſoglio magnates bibunt, plebs frumenti ſimilive ſpiritu ſaturatur.

§. II.

In laudes modò aquarum talium ardentium in genere ſi evagari liceret, præterquam quòd ad avtarkiam patriæ medicam facere videntur, cùm medicinam domeſticam locupletent, plurima inſuper ex omni ſupellectile chymicâ poſſent colligi, ſed hoc eſſet actum agere: Sufficit ipſas utut limpiditate cum aquâ purâ certare poſſint, ab eâ tamen longè abeſſe, & ferè propius accedere ad ignem; communiter utique merentur titulum ſpirituum. Concentratur hîc, quod in plantis maximè activum eſt, quod parcâ doſi magna præſtet, quod abſtractum relinquit vappam, exutam ſuâ gratiâ aquam. Duo præcipua regni laudati cimelia, uvæ ſuccus & frugum farina fermentatione talem perficiunt ſpiritum, quo magis illo turget vinum & cereviſia, eò potentius nos afficit, certâ probâ fortis & generoſi liquoris, ſi multum largiatur ſpiritûs; Hoc fœta pars vini nobilior ad interiora retrahitur, dum ab hyberno gelu cortice glaciali induitur, ſic pars concentrata ſingulari antiperiſtaſeos exemplo fit fortior. Nervum, potentiam, eſſentiam, ſi chymicus terminus placeat, liquorum jure dixeris, quâ etiam ad tincturas, eſſentias, &c. aliorum extrahendas utuntur artifices. Retinet ſpiritus in ſuo perfectionis gradu conſtitutus vigorem, duos tamen hoſtes habet, ignem & aerem; ab hoc in flammam convertitur, unde prædicatum aquæ ardentis, ab illo inſenſibiliter conſumitur, & per evaporationem deperdit nobiliſſimam ſui partem, qui aliàs in vacuo plurimum aeris dimittendo ebullit, præ aquâ & vino: Præter autem iſtas mutationes nullius putredinoſæ corruptionis capax, ſed ritè cuſtoditus eſt & manet æthereus liquor viribus integris ad uſum quocunque tempore aptus, non ſolùm ipſe incorruptibilis, ſed & immerſa ſibi à putredine præſervans. Tantæ potentiæ liquor potenter etiam corpus humanum afficit, calorem fovet, ſpiritus excitat: Uti moris eſt hodiè, nares aquâ Reginæ Hungariæ i. e. ſpiritu vini florum roriſmarini virtute imbuto perfundere, quòd ad refocillandas vires plurimum valere

lere certum eſt, ita in univerſum ſpirituoſæ & ardentes aquæ inſignem ſuam efficaciam ſtatim exerunt, dum non modò conſolantur ſpiritus in ore & naribus, tolluntque hinc mala ventriculi, ſed & tenuibus inſuper particulis brevi penetrant ſanguinis & ſpirituum motum promoturæ, juxta modum ſubitaneæ refectionis peculiari diſſertatione deductum à B. Parente Excellentiſſ. Dn. Præſidis. Sunt enim, quod caput rei eſt, ſuaves ori, grati prorſus & ad palatum noſtrorum hominum, ut omnino uſus ipſorum ab iſtâ potius gratiâ, quàm virtute medicâ invaluiſſe videatur. Eſt ea quibusdam nativa, uti quidem ſpiritus ceraſorum præterito anno ſub largo ipſorum proventu multos paſſim reperit amaſios, (fuére tamen inter ruſticos, qui ſuavitatem ſpiritûs è cynosbati baccis provocati reliquis prætulerunt.) aliis autem ſaporis illa & odoris jucunditas variis demum concilianda eſt modis. Ne ipſe quidem vini ſpiritus palato ſatis blanditur, ſed additione aromatum & ſacchari condiri debet, tum ſtrictius aquam vitæ vocant: Sic mixtura qualitatum propriarum & adſcititiarum evadit gratior. Quamvis igitur aquæ ardentes ad eundem ſpirituoſitatis & inflammabilitatis gradum beneficio cohobationis deduci posſint, manet tamen ſpecialis differentia, quæ liquorum unde venerunt, redolet qualitates, ut alius e. g. maneat ceraſorum alius juniperi ſpiritus, & ſic porrò. Rarum eſt apud nos è vino deſtillari ſpiritum, huic ſcopo ſolæ communiter reſervantur fæces; Sunt verò, qui tantam inter hos è fæce & bono vino deſtillatos ſpiritus differentiam eſſe prætendunt, quanta, ut loqui amant, pannum inter è lanâ vulgarem & mollem è ſerico confectum. Ubi quidem nullatenus prætermittenda ſingularis quædam ſpiritûs vini præparatio, etiam è Chymicorum laboratoriis ad tabernas œnopolarum translata, & olim in arcanis habita, ſed divulgata hodiè, quæ ſcil. fit per affuſionem aquæ fontanæ; Non ut commixta maneant hæc duo, ſed ut lavetur ſive abluatur ſpiritus ab empyrevmate acri, moleſto, noxio; qualem utique in uſum etiam vocare medicum, conſultum eſt. Quæ enim aliàs ſub rectificatione vulgari ſpirituum nec tam citò nec tam altè aſcendunt partes aqueæ, ſed primum

mum ſub blando ignis regimine dimittunt ſpiritum, eædem quoque vel in triplâ quantitate ſpirituoſis confuſæ, portionem ingratam imbibunt & detinent, ut prodeat ſpiritus blandior, mitis, purus, & ad ſuſcipiendas ſincerius tincturas aptior; Ex quo utroque capite talis ſpiritus à vini cultoribus (ſi fas eſt ita vocare eos, qui in dolio ſupplent, quod natura non præſtitit, circa vinum), valdè commendatur, quippe qui vinis pro conciliando vigore additus minus facile ſe prodit, unde & famoſæ vini Tincturæ nobile ingrediens & menſtruum eſt ocymi pro ſapore muſcatellino. Tartariſare vini ſpiritum, quod aliàs Chymicis ſolenne, nondum inſtituerunt noſtri, quantum nobis conſtat, nec cum calce aut ſale ammoniaco deſtillare, ut olim docuit *Bas. Valentinus*; quamvis ille contra calculum mirè laudetur, hic ad procuranda ſalia volatilia oleoſa, quorum etiam laudes paſſim audiuntur, commodiſſimè inſerviat.

§. III.

Ne verò gulæ ſolùm indulgere videantur, qui aquas ardentes potant, undique conquirunt rationes, quibus inſtitutum ſuum tueantur; Qui manè bibunt, reſiduas ab heſternâ crapulâ cruditates conſumtas volunt, aut corpus contra aeris injurias ad labores obfirmant; qui poſt paſtum aſſumunt, ciborum juvant coctionem, aut facilem præcavent corruptionem; qui ante ſomnum deguſtant, placidam ſibi quietem conciliare intendunt: Hyeme calor innatus muniendus eſt contra frigus externum, æſtate ventres frigidiores dicentur indigere potu ſpirituoſiore. Inter iſtiusmodi tamen prætextus præcipuè locum tenet, quòd non aliâ certius & commodius ratione ſitis ſedari credatur, quàm vini ſpiritu; paradoxum primâ fronte, ſed cui paſſim ſubſcribunt quàm plurimi, ante omnia milites, miris laudibus extollentes virtutem iſtam reſtinguendi ſitim, quo in ſummo defatigantis æſtivi caloris gradu, vel in ipsâ moreâ, non præſentius experti fuerint remedium; & ſanè in caſtris nihil familiarius fuiſſe perhibent. Idem in uſu eſt per poſtam, ut ajunt citatis equis iter conficiendo excalefactis, quibus cibi & potûs loco ſufficere creditur hauſtus vini ſpiritûs, quoties equos commutant; Nec meſſo-

res

res hoc amplius latet, qui ſepoſitis aquis vulgaribus ad ardentes quoque confugiunt: olim habuerunt allium, nunc igneum liquorem habent; Horatius quidem cùm allii æſtu torqueretur, ô dura, exclamavit, meſſorum ilia. Fiunt autem iſta conformiter doctrinæ *Corn. Bontekoe,* qui poſtquam frigidæ potum mortis cauſam pronunciâſſet, quòd ſanguinem à vehementiore motu calefactum, cùm jam coire incipiat, adhuc magis concreſcere faciat, in ejusmodi occaſionibus nihil conducibilius eſſe putat, quàm aquæ vitæ hauſtum, vel alium aliquem liquorem calidum; planè etiam ad mentem *Georg. Thomſoni,* qui paſſim rixatur cum humoriſtis, quibus chymica nimis calida audiunt, inter alia tandem provocat ad nautas, qui longis itineribus confectis convaluerint ex gravibus morbis ab uſu fortioris illius potûs, quem punch vocent. (*El. Coles* in dict. Punch, potus nauticus, ex vino aduſto, aquâ, malis medicis, & ſaccharo confectus; de quo etiam *Sachſius* in ampelograph. de vini ſuccedaneis.) Hinc poſtquam acriter fuiſſet invectus in Galenum, qui nunquam viderit aquam vitæ, & eapropter poſteritati remedia limoſa & nauſeoſa tradiderit, Deum tandem ait in hâc decrepitâ mundi ætate per os nautarum & ruſticorum detegere voluiſſe uſum excellentiſſimorum ſpirituum, quos thermologiſtæ ſuppreſſerant in infinitum mortalium damnum. Nunc, pergit, æger egenus confidenter haurire poteſt modicam ſpiritûs portionem, &c. nunc ruricolæ & nautæ ſitim ſedare, febrium ardorem mitigare, delirium arcere, quietem procurare, &c. His ſubjungi poterit illa hydropica, quæ ab omni potione ex toto abſtinuit per integrum menſem, ad ſitim autem ſic fecit; tenuem & parvam particulam panis benè toſti & ſpiritu vini intincti ſemel aut amplius in die ſuper linguam detinuit ad ſalivam potenter movendam: nec res fœminam fefellit, verbis *Martini Liſteri.*

§. IV.

Verum enim verò non eadem æquè probantur omnibus, nec quod tot virtutibus inclaruit abſque omni periculo hauritur; quin potius præmiſſis laudibus ſubjungi debent noxæ, ab ejus uſu promiſcuo & nimio metuendæ. Eas autem per compendium diſtinguemus in præſentaneas, quas inter

præcipuus eſt ſtupidus ſopor, & ſenſim lentisque magis paſſibus inductas, ubi languor, anorexia, phthiſis, hydrops occurrit. Sc. inebrians hic potus eſt, eâque ſuâ vi potentior omni vino, qui largiter hauſtus ſtatim corpus inflammat, caput tentat, mentem turbat, ſopore tandem ſenſus ligat, gravius inprimis inaſſuetos mulctat. Et pueros aliquot & adultos & ſenes, quia ſpiritum vini, quem aquæ vitæ nomine appellant, immoderatè ſumſerant, primum ſummoperè accendi, poſtea attonitos ſtupere, ac ſi opium bibiſſent, & ſtertere ad mortem usque, multoties obſervavit *Platerus*. Quod nec annis nuperis adeò inter nos infrequens fuit, unde utut evigilaverint plerique, uti puer apud *Wepferum* in Cic. aq. profundo ſomno obrutus, ſemimortuus, pallidus, cum extremorum frigore, quibusdam tamen lethali ſomno oppreſſis aqua vitæ immodicè bibita notante *Sachſio* facta fuit aqua mortis & ſtygia. Quod verò hic Ipſe è *Bartholino* lethalem ex ventriculo flammam erupiſſe citat, id quidem in controverſiam tractum eſt, quibusdam ſpontè factam in corpore accenſionem putantibus, aliis ab extus candelæ admotione ortam contendentibus: Tranſeant iſta, cum ipſis ebriis, in fimeto ſepeliri ſolitis, vel ſi placet frigidâ per clyſterem injectâ refrigerandis & excitandis; Notabilis eſt error ille Septuagenarii, qui à largo hauſtu aquæ Reginæ Hungariæ loco aquæ vitæ carminativæ calorem intenſiſſimum febrilem & totius corporis ineffabilem pruritum paſſus dicitur ab *Hannæo* in Enc. Aliud in iisdem ephemeridibus præſentaneæ læſionis exemplum ob ſingularem idioſyncraſiam ſ. ſenſibilitatem, etiam à potu non nimio, ſuppeditat *Ludovici*, ubi concentrare muſtum, fermentando & cum ſpiritu vini condiendo in potum præparare docet: Qui in vinorum, ſcribit, explorationibus exactiores, debilioris ve ſunt cerebri, & hinc (quamvis generoſiſſima ſæpè vina nativa) ſpiritum tamen, etiam modicum, ferre nequeunt, ejuscemodi miſcelas æquè facilè ac maledictam illam ipſius (turbidioris inde) vini cum vini ſpiritu miſcellam guſtu ac brevi ſubſequâ cephalalgiâ diſcernunt. Notatu digna verba, quorum veritatem inter nos quoque ſubinde confirmat experientia. Dum ad alteram partem

tem de morbis lento magis paſſu aquæ ardentis potum ſubſequi ſolitis tranſeundum eſt, ex magno practicorum numero ſufficiet ſeligere trigam, qui de ſat gravibus teſtantur: *Pechlinus* in obſervationibus pejorem ſpiritum facit ſuo vino, ita ut non adeò periclitari dicat, qui vino ſe quotidiè ingurgitat, quàm qui ſpiritu ejus, & in hisce paucos ſeram ætatem attingere: A' vini quidem conſuetudine, ait, ſi eò natura contendat, arthritidis periculum, ſed à vini ſpiritu tabes, hydrops, atque icterus, membrorumque omnium ac ſenſuum palpitatio. *Wedelius* in pathologiâ ab eodem ſpiritu largius hauſto ſæpè phthiſin oriri & frequentiſſimè hydropem obſervat; vidimus, pergit, talia exempla frequentiſſimè, adeò ut ſi offeratur æger aliàs orthoſtadios, qui citra aliam aliquam cauſam manifeſtam conqueratur de inappetentiâ ciborum & laſſitudine membrorum, ſolenne ſit nobis quærere, an ſpiritu vini utatur, an fumo tabaci. *Liſterus* in exercitationibus hydropem Londino popularem abuſui ſpiritûs vini & cereviſiæ adſcribit; hæc fundi, inquit, noſtri calamitas eſt; hinc illæ lachrymæ; Etenim hi ſpiritus ſ. meri ſ. multo lenocinio medicati, ſi aſſiduè & multum bibantur, plurimos in hydropem præcipitant. Univerſalem enim horum ſpirituum ſ. uſum ſ. abuſum in ſuâ quoque patriâ agnoſcit; quòd hæ utriusque ferè ſexus ſint deliciæ, & privatim apud mulieres variâ arte certatim confici ſoleant; imò nec medicos conterraneos extra omnem culpam eſſe dicit, quibus omnia alexipharmaca vileſcant præ iſtiusmodi ſpiritibus medicatis. Longo catalogo teſtium, qui ſuis obſervationibus priorum aſſerta firmant, ſuperſedemus: claudat agmen *Sydenham*, qui optat, ut ſpiritus vini aut planè exularet, aut ſaltem ſpiritibus reficiendis, non verò iisdem extinguendis, uſurpetur; niſi quis, addit, internum ejus uſum prorſus abdicandum maluerit, proin à chirurgis ſolùm extus uſurpandum.

§. V.

Juvantia & lædentia debentur obſervationibus & experimentis, modum agendi ex phænomenis eruit ratio: Quâ ergò vi quas partes & quo modo afficiant aquæ ardentes, nunc porrò examinandum venit. Ubi quidem dum ſpiritus noſtros ani-

males conferimus cum iſtis ſpiritibus inflammabilibus, ſtatim incidit notiſſima offa helmontiana, quæ ſcil. ex commixtione rectificati ſpiritûs vini cum urinoſo concreſcit, & inter alia occaſionem dedit famoſæ controverſiæ, de ſpiritu vini cum vel ſine acido; in ordine autem ad pathologiam *Helmontio* productioni ſui duelech, & *Borrichio* geneſi ſoporis declarandæ accommoda viſa fuit. Seponimus hîc lithiaſin, quamvis à quibusdam ad eam præcavendam vina generoſa dulcia cum ipſo vini ſpiritu laudari ſoleant, & ſalinæ particulæ per oleoſas involventes à concretione impediri dicantur: Nec generali modò illi difficultati nos immiſcemus, quâ paſſim disquiritur, an quod in triplici regno ſulphureum, oleoſum, inflammabile deprehenditur, principium ſit à ſalino terreo aqueo diſtinctum, nec ne; Id verò notamus, phænomeno illius offæ præpollens in vini ſpiritu acidum vix evinci. Eludere enim conantur hunc ictum non modò qui acidum illud ſi quod inſit ſuperficiarium & extraneum eſſe urgent, ſed & qui tantum de urinoſis, uti de aliis in aquâ ſolutis ſalibus, quantum aquæ ab alcôhol vini imbibitur, dimitti regerunt *Wedelius, Bohnius, Colbert*, &c. Alii verò irretiri ſales rigidos & ſuſcipi à flexilibus hamoſis & ramoſis vini particulis, iisque implicatos ſiſti in motu ſuo volunt, *Maets, Sturmius*, qualem amplexum corpuſculorum in genere modò ſibi quoque concipit *T. de Lanis*. Equidem in Enc *Schröckius* ex ſapore amaricante, ex abſynthii ſpiritu reſiduo, quasdam ſpirituum vinoſorum particulas in ſale abſcondi colligit; Quò ſpectat ille vinoſus, de quo ſupra, ammoniaci ſpiritus, & hic ipſe ſale urinæ volatili acuatus ſpiritus vini microcoſmicus dictus apud *Schröderum*, non difficilis vinoſorum & urinoſorum connubii teſtis. In vino utramque, ſed & alios à ſpirituoſo quàm quà acido effectus, ſentimus, unde communiter diſcuſſis partibus volatilibus remanere concipiuntur eò moleſtiores acidæ, quò intimius ſe corpori inſinuarunt; an verò & puri ſpiritus vi ſui acidi ligent ſpiritus noſtros animales, id eſt, de quo quæritur. Si judicio ſenſuum ſtandum, aliter utique afficimur ab urinoſis & acidis, in neutro igitur, nec ſimpliciter in eorum concurſu fundamus vim inebriandi: Quod

è pian-

è plantis variè prodit modò acidum, modò lixivioſum aut urinoſum, id in aquis ardentibus adeò ſingulariter immutatum eſt, ut earum vis non tam ex iſtis ſalium affectionibus, quàm potius ex novâ quæ emergit & corpus afficit diſpoſitione æſtimari debeat. Verùm ſ. occultato magis ſub oleoſis acido ſive manifeſto polleant iſtæ aquæ, ad obtinendum tamen prætenſum amplexum ſupponerentur ex alterâ parte ſpiritus animales naturæ ſalinæ urinoſæ: Hîc autem denuò controverſiarum & dubiorum non eſt finis. Negari nequit talis ſalis è regno animali largus proventus, mira volatilitas & magna activitas; Talem verò ſpiritum & ſucci nervei & aeris patroni multo ariete impetunt. Quo diſſidio ſub occultâ adeò naturâ alii planè ad negandam ſpirituum animalium exiſtentiam inducti ſunt. Quamvis itaque non inelegans ſit illud ſimile, ſpiritusque omninò ab aquarum ardentium uſu duplicem ſtatum exhibeant, à modico quidem vividum & vegetum, ab immodico confuſum, turbatum, oppreſſum, quâcunque tandem ratione ſpeciatim id explicetur; negari tamen nequit adduci ab aliis non minus probabiles modos, queis declarari poſſit animalium functionum læſio, ſive craſſiora conſiderentur heterogenea, quæ duce ſpiritu intimius ad vias iſtas abripiuntur, eoque diſcuſſo hærent moleſtè, quam ſtuporis & tremoris cauſam ſuppeditat *Wepferus*, ſ. cum *Bellino* turgida vaſa premere cerebrum, motumque impedire ſpirituum concipiantur.

§. VI.

A ſpiritibus ad humores: *Boyleus* in hiſt. ſang. grumum ſanguinis humani in vinoſo ſpiritu benè dephlegmato non minus durum obſervavit, quàm ſi ad ignem ſiccatus fuiſſet; Seri autem portionem aliquam eodem ſpiritu ſummè rectificato in coagulum coegit, ſatis copioſum, levius tamen, quàm quod è ſalibus. In hiſt. fl. & firm. declarat experimentum *Baconi*, coagulandi albumina ovorum cum ſpiritu vini, quòd feliciter ſuccedat, modò diligenter concutiantur, ſitq; bonæ notæ ſpiritus: Serum autem ſanguinis fruſtrà conatus fuit cum eodem ſpiritu coagulare; unde vim hanc calori ſpiritûs aſſignare dubitat, ad ſalia & majorem congruitatem texturæ ſpiritûs cum

 liquo-

liquorum uno præ altero confugiens. Salivam cum alcohol vini perinde ac cum diverſis aliis ſpiritibus poſt leniorem luctam ſe aſſociare, & de colore parum mutari tradit *Nuckius*. Bilis ab affuſo vini ſpiritu offam obſcuræ flavedinis, cum paucâ ſpumâ ſub agitatione, præbuit *Bohnio* in circ. anat. Nobis pelliculas quaſi virides & flavas, undulatim diſtributas, uti quidem ſanguinis etiam guttam ſpiritui inſtillatam pelliculatum formam aſſumere & quieſcere circa fundum obſervavit *Ant. Heide*: Idem ſex dragmas ſpiritûs vini rectificati venæ crurali canis immiſit, & in confecto ita, ceu lipothymiâ, cane cor diſtenſum, tumidum, inque ipſo copiam ſanguinis, maximam partem fluidi, intermixtis quibusdam grumis coagulatis, invenit; Nobis idem per venam jugularem tentantibus eodem modo experimentum ſucceſſit, niſi quòd plures & majores grumi in dextro cordis ventriculo ejusque auriculâ occurrerint, à minus quidem rectificato ſpiritu, majore tamen quantitate injecto. Plenus etiam erat ventriculus ſiniſter, non ſine grumis, iis tamen paucis & parvis; collapſi ad latera jacuére pulmones. Quid hîc dicent, qui hauſtu ſpiritûs coagulum ſanguinis præpediri volunt? Qui acidum ibi fundant, id grumorum cauſam dabunt. Alium modum, conformem declarationi offæ helmontianæ, ſuppeditat Autor Phil. Burg. qui in ſuccis iſtis animalibus, ſanguine, lymphâ, felle, albumine ovi viſcoſum quid ſibi concipit, quod à ſpiritu vini diſſolvi non poſſit, ſed tum concreſcat in grumos, ubi ſpiritus cum aquoſâ portione commiſcetur. Quam in Act. Lipſ. *Bohnius* divulgavit ſpiritui vini rectificato competentem vim ſiſtendi ſanguinem, dubium ferè eſt, utrum ad humores referre conſultum ſit, vel potius reſervari debeat ad ea, quæ de ſolidis partibus dicenda erunt: an ſcil. imbuto ſero & exſiccato ſanguinis grumo obſtruatur foramen, an verò igneâ vi ſpiritûs conſtrictæ partium fibræ fluxum ſufflaminent? Qui energiam menſtrui ſtomachalis in acore quærunt, ſpiritum nitri & ſalis per commixtionem cum vini ſpiritu dulces in exemplum producere ſolent, & infractum ita menſtruum dejecti appetitûs & debilioris coctionis cauſam prætendere. *Primeroſius* vulgi errores

in potu aquæ vitæ poſt cibos difficilis coctionis aut facilis corruptionis taxans, modum lædendi in eo quærit, quòd ab aquis iſtis penetrante ac permeabili virtute præditis cibi nondum probè concocti in venas deducantur, unde cruditatum & obſtructionum proventus. Denique nec ineptum eſt ſimile, quo frigidos calidis ſubſequos effectus declaravit *Zwingerus* in memorab. Præſ. B. Proavi, deſumptum à vini ſpiritu, quo accenſo vapor colligitur inſipidus; ſic & abſumpto ſpirituum rore remanere ichorem ægro corpori. Inter partes ſolidas ſtatim occurrit ſtomachus, qui primam utique & præcipuam ſpirituum vim & impetum ſuſtinet. Hunc maximè lædi putat *Liſterus*, prætendens ejus fibras ſive villos à ſpiritu exedi, ipſumque viſcus inflammari; provocat enim ad lotionem vulnerum, gingivarum, & ubi faciei fuci loco adhibetur, tum vehementer abſtergere, non ſine levi aliquâ uſtione, & ſub aſſiduo uſu exedere, inflammare: A tali autem ſtomacho chylum crudum & lentum, & à tali chylo hydropem cum ſuis ſymptomatibus deducit. *Em. König* in regn. veg. cum *Wepfero* ad glandulosa corpora reſpicit, quæ duritiem inde acquirant, ut neceſſariò excrementitii humores aliorſum exſudent. Glanduloſum eſt hepar, à cujus nimiâ exſiccatione, calore & tandem fiſſurâ potatorum hydropes deducit *Platerus*, cui jung. *Schenckium* in obſ. lib. ſext. & recentius in Enc. *Gerbezium*, qui viſcera pueri bibuli, febre ardente hinc perempti, exſucca & flaccida, corpus pinguedine omni deſtitutum vidit. Quî verò, prætereundo partes alias, cerebrum cum ſuo ſyſtemate nervoſo immune manebit? Nocet ebrietas omnis, & maximè aſſidua, inquit *Dioſcorides*, ſiquidem obſeſſos nervos quotidiè remittit; largiorq; potus acutorum morborum affert initia. Nec dubium, quin nervi ſtomachi ſtatim ac ſentiunt talis auræ ſpirituoſæ appulſum variè vel blandè ſe ſtringant, vel cogantur in anomalias, inque conſenſum vocent ſocios, prout vel quantitas & qualitas poſtulat adventantis hoſpitis.

§. VII.

Nobis, ſiquidem licuerit ex adductis hactenus formare epicriſin, videtur ante omnia diſtinguendum eſſe inter uſum

& ab-

& abuſum, illum modicum & medicum laudamus, concedimus, hunc abſolutè damnamus & proſcribimus. Legimus aliquoties in novellis prohibitam fuiſſe hinc inde publicis edictis talium, è frumento in ſpecie, ſpirituum deſtillationes; an ob rationes politicas, an medicas, nobis non conſtat. Non eſt autem, quod de abuſu ſive exceſſu in quantitate & frequentiâ pluribus inculcemus: Utut enim perſuaſuri bibaculis non ſimus, unanimis tamen ſaniorum conſenſus ipſos reprehendit; utut dentur nonnunquam exceptiones, i. e. unus & alter aſotiam talem diu absque gravi noxâ ferat, rari tamen ſunt illi, nec plus probant, quàm occalluiſſe quosdam, interque tot homines reperiri paucos, quorum machina extraordinariâ etiam vi vix convelli poſſit; ſed eos imitari velle, plerisque præſentaneo exitio erit. In gratiam tamen ſanitatis ſtudioſorum ſubjungi poterit cautela, ne animum minus advertentibus abuſum ſenſim ſubrepere ſinant, néve his blandimentis ſe decipi aut invitari patiantur ad aſcendendum nimis in doſi, aut recurrendum frequentius juſto ad hunc ignem, ſed intra terminos ſe continere diſcant. Moventur enim aquarum ardentium amaſii facile ad plus bibendum, idque duplici modo: Vel enim calor & ſitis ab hauſto manè vino aduſto poſt meridiem per vinum non uſtum, cereviſiam, aliosve liquores reſtingui poſtulat, qui mos utique paſſim obtinet; vel ſenſim talis contrahitur habitus, ut ſine ſuo ſpiritu nihil valeant illi potores, hunc unicè appetunt, alia faſtidiant, peſſimâ tandem atque adeò radicatâ conſuetudine, ut *Liſtero* notante tales ad frigidas & leniores potiones ferè nauſeent, & non merentem ſtomachum accuſent, quaſi is naturaliter infirmus eſſet, cùm revera nihil aliud ſit, quàm quòd ipſi deliciis ſuis lenocinentur: Nam ita quidem eſt, ſpiritu vini dicto nihil plenius eſt, adeò ut his hominibus vel ipſum venenum ad vitam eorum conſervandam neceſſarium eſſe videatur. Quod de tremebundis & invalidis ab iſto abſu omninò confirmat *Pechlinus*, quàm ſc. rumpantur quaſi impatientiâ, niſi ſtatis horis conceptam ex peſſimo potu ſitim eodem illo ſpiritu vel provocent denuò aut exſtinguant; nec à tremore conquieſcant prius, quàm novum ita robur acceſſerit,

ceſſerit, ſed protinus iterum diſſipandum. Quandiu ejusmodi aquæ orificium ventriculi calefaciunt, aliquid emolumenti percipi concedit *Primeroſius*, ſed quò ſæpius & copioſius bibuntur, eò magis magisque ventrem debilitari ſubjungit. Talium meminiſſe expedit! Adeò Plinii verba de vino in ejus ſpiritum quadrant: Neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit; maximè cùm, ut Idem alibi, ſit tardum dictu, pluribus proſit, an noceat.

§. VIII.

Uſum verò ritè determinabunt indicantia, permittentia, contraindicantia, ubi tam morborum quàm ſubjectorum diverſitas varia ſuppeditabit notabilia. Stat primo loco ætas, & ex eâ puerilis: Si *Galenus* pueris vinum non conceſſit, quid de ſpiritu dicturus fuiſſet facilè concluſu eſt. Medicè tamen pueris tuſſientibus, verminantibus & epilepticis diſpenſat *Wolfius* in Enc. De canibus aliàs Bononienſium perhibent quod parva ipſis ſtatura conciliari ſoleat inter alia vini ſpiritu; Simias, inquit *Plinius*, quadupedesque quibus digiti ſunt, negant creſcere aſſuetas meri potu. Senum ex adverſo lac vinum audit, quorum utique phlegma ſuperfluum ſpiritus conſumentes & debilis calor blandum fomentum facilius tolerabit. Hoc conſilium fuit *Henr. ab Heers*, qui in ultimo cœnæ hauſtu ſemicochlear aquæ vitæ cum cereviſiâ vel vino ſorbendum, ad blandum ventriculo calorem, & qui eum ſequitur cerebro ſuavem ſomnum conciliandum, ſenex ipſe cum ſtomacho & cerebro ægeret expertus commendat. Meminerint tamen ſenes, quòd ſtrenui olim potatores jam nimis quàm facilè inebrientur. Inter temperamenta nemo credimus, dubitabit, illud magis indicare ſpirituoſas aquas, ubi ut loquuntur inveniunt, in quod agant; excludi potius aut limitari, ubi calor & ſiccitas excellit, facilisque in talem intemperiem tranſitus. Mirum etiam quàm diſtinguimur vitæ genere; de nautis hîc non erimus ſolliciti, milites autem, quos & abundantiam & penuriam pati poſſe convenit, ſylvarum alpiumque incolæ, durum quodque genus hominum, largiorem feret doſin aquarum ardentium, non æquè lædetur, & ſiquidem diætam ſuam ordinariam aliquando

C ſpi-

ſpiritibus interpunxerint, ad labores victumque ſuum redeundo corriget illatam fortè noxam. Nec minor in victu eſt differentia: Oenopotæ, quò meliora bibunt vina, eò minus opus habent vini aliove ſpiritu; illi autem hunc pro potu ordinario ſubſtituere, conſultum non eſt. Quem Deus in naturâ nobis paravit cibum & potum, non in puritate illâ chymicâ conſtituit, ſed in mixtis recondidit, ut in receſſu haberent, quæ à calore noſtro actuari, reſolvi & extrahi poſſint, claro panis & vini teſtimonio, à quibus abunde ſpirituum accedit corpori. Sint igitur maneantque aquæ ardentes condimenta, quibus parcè uti convenit. Non reſtituunt, quod abſumptum reſarciri debet humidum, ſed appetitum ejus reſtinguunt ad tempus, ſive ſalivam movendo, ſive forti hoc ſenſu percellendo organon; quo quidem modo parcâ doſi palliare quaſi ſitim, ſive cautè moderari urgens ſymptoma, & ſuſpendere plenam ſitis per neceſſarii conceſſionem humidi expletionem præſtabit, quàm intempeſtivè immoderato hauſtu corpus obruere. Qui fortiores bibunt cereviſias, pariter ſpiritu minus indigebunt, cùm in quibusdam *Ang. Sala* teſte non minus quàm in vino Hiſpanico ſexta pars ſit ſpiritus. Qui vina non ferunt aut averſantur, eos nec ſpiritum ferre credibile eſt, quamvis exempla ſuppetant vulgaria vina non ferentium, faſtidientium, qui generoſa dulcia non recuſant. Singulare exemplum ægri naturali quodam & innato antipathias motu ab omni ſpiritus vini uſu abhorrentis, & ab omnibus ex eo compoſitis aut cum eodem præparatis medicamentis, ita ut nec odorem nec ſaporem eorundem perferre potuerit, recenſet *Scharfius* in Enc. Non nullam equidem hîc quoque conſuetudinis habendam eſſe rationem cenſemus; quamvis enim ſpirituoſis aſſueſcere nec tutum æquè nec neceſſe fuerit, dandum tamen aliquid huic tyranno, vel ob Hippocratis aphoriſmum, quo conſueta utut deteriora inſuetis minus moleſta dicuntur; unde etiam minimè tutum aſſuetos ſtatim ac derepente à ſpirituoſis depellere, ſed ſenſim id agendum cenſet *Sydenham*. Enimverò ut & hoc obiter addamus, nauſeoſus eſt modus, quo *Clauderus* in Enc fœminam marito nauſeam in deamatum nimis vinum aduſtum intuliſſe

narrat.

narrat, propinatâ aquâ, quâ mortuus lavabatur mixtâ vini ſpiritui: Talis cura ebrioſitatis per mortificationem ſucceſſit etiam in tantum viro in iisdem ephemeridibus, qui vaſculo intra brachium mortui per aliquot horas collocato conjugi ebrioſæ à vino & cereviſiâ averſationem induxit, ſed ut ſubjungit *Stegmannus*, cum vino aduſto & breihanio experimentum facere prohibitus fuit, quòd fœmina de fraude certior facta ſibi jam caveat, & ab iis quidem abſtinens, hæc majorem in modum ingurgitet.

§. IX.

Morborum pariter differentias percurrere, prolixum foret; quòd ſi præcipuis applicuerimus diætam & pharmaciam ſpirituoſiorem, quid de reliquis ſentiendum, facile poterit colligi. Ubi quidem declinari vix poteſt, quod aliàs malè habere ſolet Chymicos, cùm toties audire coguntur odioſum illud, nimis calida eſſe ipſorum medicamenta. Nos hanc quæſtionem hîc non tractamus in genere, ſed reſtringimus ad aquas ardentes, & de his quidem non veremur aſſerere, quòd earum abuſus occurrat non modò juxta dicta inter bibaculos, ſed quòd etiam in morbis ſæpius & nimis quàm vel conducit, vel neceſſe ſoleant hinc inde exhiberi: Nec dubitamus, chymicis his beneficiis non ſemper opus eſſe, ſed ſimplex ſub ſimplici præparatione palmam aliquando dubiam facere eſſentiis & extractis mediante ſpiritu obtentis, quod exemplis opii, chalybis, corticis peruviani declarare ſuſtinet *Sydenham*. De *Thomſono* autem, qui contra vanum iſtum metum caloris à vulgari ſpiritûs vini uſu argumentum deſumſerat, notabile eſt, quòd in ſequentibus ipſe agnoſcat inibi nocivum inebrians ſulphur, occultum immite acidum, qualitatem roſivam in alcali deliteſcentem, gas ſylveſtre, quæ ſtomachum, nervos & membranas p. n. calorem producendo injurioſè cædant. Talia quidem prædicata non quadrant in illos ſpiritus, quos prudentia artiſtæ iteratâ ablutione & deſtillatione cum additamentis convenientibus pleniſſimè purificavit, quæ in quantum vulgares chymicos vel lateant, vel inter modos ſupra annotatos comprehendantur, præter adeptum determinare forſan auſit nemo; interim ſermo hîc eſt præcipuè, de ſpiritibus ſecundum communem modũ præ-

paratis, quales vulgò bibi ſolent, in quorum utique rudem præparationem, unà cum exceſſu, omnia convitia, quibus galenici aquam vitæ conficiunt, convenire certus eſt Thomſonus, veritate convictus, quòd ſc. nimis ſint calidi, inflammatorii, humidi radicalis deprædatorii, deliriorum auctores, vitæ abbreviatores. Proſequi hanc de remediorum chymicorum ſuſpecto calore difficultatem & determinare ſpecialius licebit progrediendo ad uſum aquarum ardentium in febribus: Pagellæ non capiunt, quæ ab omnibus retrò ſeculis pro vini potu & contrà fuerunt adducta; *Celſus* jam olim: De potione ingens pugna eſt, (ſc. non ſolùm inter medicum & ægrum, ſed & inter ipſos medicos) eoque magis, quò major febris eſt. Legi merentur hîc, quæ *Plinius* romanâ gravitate ut judex ſalutis humanæ ſibi diligenter diſtinguenda putavit. Pro ſpiritu autem vini ut laboremus, opus non eſt, cùm enim *Albrechtus* idem, quod *Riedlinus* in lineis, curatam ſc. vini ſpiritu febrem malignam obſervâſſet, in octavo ephemeridum decuriæ ſecundæ anno ſpiritûs illius prærogativas prolixè deduxit, atque ex virtute diaphoreticâ, diſſolvente, hypnoticâ, acrimoniam temperante, putredini reſiſtente, quia in febribus intermittentibus cum pipere ſudorem movendo, quia in pleuritide, eryſipelate, &c. externè prodeſt, nonnunquam ſed modicè, præcipuè in aſſuetis, ſi non initio tamen progreſſu febris malignæ, locum habere poſſe judicavit. Cùm ad fidem faciendam ſufficere videatur vel ſolum nomen Tincturæ Bezoardicæ, ſpiritus thericalis, &c. plura non addemus: Methodo nauticæ, quâ, ſi judicio *Thomſoni* ſtandum, melius ut plurimum eſt curare febres quàm galenicâ, curam cui placet jungat polonicam, quam legere eſt in tractatu de febribus *Schelhammeri*. Ex adversâ tamen parte non minor eſt numerus, qui contra vini ſpiritum cum ſociis acriter pugnant, & oleum camino addere vetant: Produci ante omnia communiter ſolet in ſcenam Carteſius, iſtâ methodo egregiè, ſcilicet, curatus. Confidenter ſatis & ad fidem practicam provocando *Sydenhamus* loco non uno, maximè in ſchedulâ monitoriâ de novæ febris ingreſſu, depugnat contra aquas cardiacas, regimen calidum, omniaque talia remedia, etiam ſpecioſo alexi-

phar-

pharmacorũ titulo donata, & malignitati, quam nullam agnoſcit opponi ſolita, habetq; in eo conſentientem conterraneum *Gualth. Harris.* His junge quæ ad explodendam quorundam recentium, qui calidis in omnibus febribus utuntur remediis, novam ſapientiam loco citato adducit *Schelhammerus.* Nobis plura compilare non libet, non licet; quid in conflictu defenſuri ſimus, paucis proponimus: Attendi videlicet merentur, quæ *Rich. Mortonus* de febrium differentiis & vario febricitantiũ ſtatu vel magis febrili, inflammatorio, vel magis ſpaſmodico, colliquativo, maligno diſtinctè proponit; cui fundamento benè ſuperſtruitur rationalis ipſius curandi methodus, quâ ſuum cuique tribuit, huic calida, alexipharmaca, illi temperatiora, venæ ſectionem, cum antidoto. Equidem rarioris apud ipſum uſûs deprehenduntur ſpiritus inflammabiles, aquas tamen benè ſpirituoſas, & inter alexipharmaca canarienſe vinum concedit, ad ſpirituum expanſionem & juſtæ in maſsâ flammæ excitationem promovendam, ſc. ubi non tam ab incendio, quàm à veneno deleterio & ſphacelante metuendum eſt. Hæc conſonant cum prudente & vetere Practicorum noſtrorum cautelâ, quâ obſervari voluerunt, an exquiſita magis ſit febris, an ſpuria, num febris major, vel malignitas: Nec diſplicebunt illis, quibus excitare febrem ubi neceſſe, hinc & moderari prudenter, non autem ubi jam ſufficiens ardet, minus ubi nimia eſt, eam intendere conſultum videtur. Secundum hæc tutiora nobis credita principia promiſcuum in febribus ſpirituum uſum non concedimus, patetque ad quem ſtatum reſtringamus, quod in arcanis majorum ſervant inter nos familiæ nobiles è camphorâ & croco in vini ſpiritu remedium, quod & ab *Henr. Screta* commendatum legas: Sc. malignis continuis alexipharmaca, intermittentibus chronicis, autumnalibus, ſub crudorum cumulo, &c. antifebrilia pro tingendis aquis ſpirituoſis reſervamus.

§. X.

Suppetunt adhuc quædam è therapeiâ, quæ quòd vulgarem uſum concernunt, vix prætermitti poterant: prodeant primò hyſtericæ, quibus jam quoq; in paroxyſmo torminoſo no-

tum eſt refugium ad unum & alterum cochlear ſpiritûs vini. Et eſt, ubi aliquando inſoliti appulſu ignis diſcuſſis flatibus & correctis cruditatibus ſolatium ventri accedit, quod æquè certum aliis dein vicibus vix amplius experiuntur. Si caſtoreum cum ſociis acceſſerit, potentius erit remedium. Quin imò habent ſuam propriam aquam vitæ mulieres. Latè ſe extendit hodiè uſus ſpiritûs matricalis, cum myrrhâ, maſtiche, olibano, ſuccino parati, polychreſti planè, externè paſſim, & ad varia artificia adhiberi ſoliti. Flatulenti hypochondriaci imitantur hyſtericas, tutius, cùm ex causâ fixâ, lentâ, craſsâ laborant, minus tutò cùm orgaſmos acrimonia bilis movet; non enim ipſos promiſcuè ferre ſpirituoſa calefacientia, urinoſa excitantia & ſtimulantia, ſed etiam coerceri quandoque debere turbas & ſedari per temperata docuit Præſidis B. Parens diſſertatione publicâ non unâ. Valetudinariis, cauſariis, quales hypochondriacorum familiæ frequenter ſe aſſociant, cùm ad ſpirituoſa præſervativa undique invitentur, illud commendamus, ut tot tantaque paſſi tandem ad internoſcenda corpori ſuo utilia aut noxia animum applicent attentius, vel ex juvantibus & lædentibus ſapere diſcant; Et cùm vix domus ſit, quæ non habeat ſpirituoſam quandam aquam, epi-apoplecticam, aſthmaticam, ad minimum anticatarrhalem, in univerſum ingeminamus: Modicè, medicè, tutius & largius contra cauſam frigidam! Cumq; adeò extra pomœria artis medicæ proruperit uſus ſpirituum, mirum non eſt, quòd & ad medicaſtros enotuerit vis ipſorum ſiſtendi hypercatharſin, in quâ concitanda cùm temerè ſoleant eſſe faciles, eò magis indigent præſentaneo auxilio, quale quidem in vini ſpiritu inveniunt. Transferunt id alii ad ſopienda tormina colicæ & diarrhoeæ; quod olim viro illuſtri benè, in dyſenteriâ dein infeliciter ceſſiſſe narrat *Wepferus*. Quâ occaſione recordamur bibaculorum, qui cùm purgari volunt, non aliam quoque formam præoptare ſolent, quàm purgantis vini ſpiritûs; Solvitur enim & occultatur ita, quod reſinoſum eſt, & efficax in purgantibus, imò notante *Pechlino*, ſubigitur & maturatur quaſi hoc calore, quod crudum eſt in reſinis purgantibus, adeò ut ſæpius etiam ſolutæ evadant mitiores; pro-

vidè

vidè tamen & cum grano ſalis monente Eodem propinari debent, quòd ſi in temperamentum incidant calidius, à nimiâ purgatione metus ſit, ſin frigidius, aut nihil agant, aut promiſſas ſedes torminibus mutent, tandem quoque in vehementiorem motum erupturis. Quemadmodum igitur effectus quidam ſpiritibus inflammabilibus in genere ſunt communes, ita ſpecialium tamen vix eſt numerus, ſi deſcendatur ad eos, quos conjuncta excellens virtus modificat, quam ſcil. vel ſervant à corpore unde prodeunt, vel accipiunt ab infuſis, adeò ut omnes medicamentorum claſſes per plurimas morborum differentias pervagentur: Ubi duo utique ſemper conſideranda veniunt, & vis ipſa ingredientium, & menſtruum illud ſ. vehiculum ſpirituoſum hactenus ventilatũ. Probè autem omninò cavendum à fraudibus, quas hîc etiam additione variorum acrium intercurrere, publicèque olim prohiberi debuiſſe *Sala* notat; Quò & ſpectat valdè ingratum empyrevma, quod ſpiritus contrahunt, cùm ſub non debito ignis regimine ab aduſtis fæcibus inquinantur. Singularia quidam ſibi promiſerunt à frumenti ſpiritu, novumque divulgarunt axioma, quo conſumi corpus à vini, nutriri à frumenti (uti olim Alii refrigerari à ceraſorum fructuumque frigidorum) ſpiritu vulgo perſuaſum voluerunt, ſed absque fundamento; quaſi hanc quoque facultatem ſeparatus à frugibus ſpiritus retineret, quæ toti concreto & integro propria, non amplius competit ſ. reſoluto ſ. immutato in liquorem, vel linguæ teſtimonio longè diverſum. Aliud eſt, cùm *Muys* multò magis anodynum dicit frumenti ſpiritum, quàm alios, quod experientiæ modò probandum relinquimus, notamus autem hunc tanquam vilioris pretii neglectim communiter parari, minus diligenter depurari & rectificari, unde minoris gratiæ & efficaciæ, non ſine, quod ad ſuperiora ſpectat, acoris ſubinde cujusdam ſenſu. Uti ergò ſpiritui frumenti, qualem cum abſynthii ſemine paratum *Agricola* in Chir. parv. contra anorexiam & atrophiam commendat, æquè commodus & efficax vini ſpiritus benè præparatus ſubſtitui poſſet, ſic abuſus & exceſſus in frumenti ſpiritu non minus quàm aliis quibuscunque noxius eſt, talisque confirmatur poſt alios recentiùs à

Ried-

Riedlino in lin. Quæ quidem cùm circa potum aquarum ardentium meditaremur, ultrò etiam ſeſe obtulit Tabaci fumus, æquè novus, æquè univerſalis; quem enim terræ angulum non infecit, quo tamen carere poterant ſecula priora. Multum ille affinitatis habet cum ſpiritibus vinoſis, & fata non diſſimilia: Etenim non obſtante, quòd fœdum ſpiret odorem, quòd graviter afficiat non aſſuetos, quòd morbifer paſſim accuſetur, (ubi obiter felibus utrumque, & vini ſpiritum & tabaci oleum, venenum recordamur) imò quòd ſæpius à magiſtratu fuerit prohibitus; in ſuâ nihilominus poſſeſſione manet, nec ſupprimi potuit, quin potius in deliciis eſt, præ quibus vel cibi & potûs obliviſcerentur fumibibuli, adeò deſiſtere non poſſunt, ſed ab uſu in abuſum proclives fiunt & numero fiſtularum exhauſtarum certare incipiunt. Cauſam ſi quæras & rationem, eosdem audias prætextus, famem & ſitim, annonæ caritatem, aerem humidum, aquas impuras, &c. ab eodem præcipuè hominum genere, nautis, militibus, &c. Unde etiam americana hæc planta jam paſſim per Germaniam ſtudio colitur, fumo autem à ditioribus variè gratia conciliatur per aromatica, uti noviter corticem, quem chaquerille vocant, & ſimilia. Verùm iſta viderint alii; Nobis filum abrumpendum, & reſervandum erit occaſioni commodiori, quod de uſu externo ſuperaddi potuiſſet, quicquid item ex variis artibus prolixè deduci meruiſſet, ad declarandum, quàm polychreſti ſint ſpiritus, qui ut inflammabiles, chirurgis balneum laconicum actuant, & incluſas caveæ aviculas mirè exercent, coquis ignem culinarem accendunt, chymicis lampada digeſtivam, ab aliis artificibus ad ſuos uſus variè accommodatam; Quà menſtruum ſulphureum reſinâ benzoes fœtum, ſtudioſis formæ puellis lac virginis coſmeticum, ex aquearum & pinguium partium confuſione ortum liquorem lacteum præbent; Quà non gelabiles, ſtringi tamen & pandi poſſunt, aptum thermometro clauſo liquorem phyſicis conſtituunt; Quà nec oleo tartari nec oleo therebinthinæ miſcentur, curioſis in exhibitione quatuor elementorum aerem repræſentant; Quà immiſſa ſibi corpora præſervant à putredine, muſea curioſorum paſſim exornant plantis animalibusque raris, liquori balſamico innatantibus, non unâ quidem ad hunc uſum ratione præparari & condiri ſoliti &c.

SOLI DEO GLORIA!